

www.e-rara.ch

Demosthenis et Aeschinis principum Graeciae oratorum opera

Demosthenes

Basileae, [1571-]1572

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-98668>

In Gnomologiae Et Annotationum Specimen, Anno M.D.L. editum, Hieronymo Wolfio
Praefatio

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

3

IN GNOMOLOGIAE ET ANNOTA-

TIONVM SPECIMEN, ANNO M. D. L.

editum, Hieronymi Vuolfij Praefatio.



VVM sententias ex Iſocrate collectas, præter expectationē meam, eruditus non ingratis accidisse intellexissem: statuerā eandem in toto Demosthene explicando rationem sequi: neque Latinas duntaxat afferre, sed Græcas etiam, ubi res facultatem haberet, ascribere. Quod quum per ocium in præsentia præstare non liceat: ea solum in hoc tempore uisum est edere, quæ ex prima Olynthiaca deprompsi atque annotaui. Quæ si doctis & æquis lectoribus non improbabuntur, & si quando his ærumnis, quibus iamdiu conflictatus sum, liberabor, ea quæ restant in adolescentiæ gratiam pari diligentia persequar. Quanquam, si studium non desit, facile quiuis demonstratam à me uia, aut si qua est (ut fortassis est) breuiorem & meliorem, suo Marte ingrediatur: quod genus sit, si quis ad certa quædam capita uirtutum & uiciorum (quod ut laboriosius, ita etiam artificiosius, & ad uitandam superuacaneam earundem rerum repetitionem & confusione, aptius fuerit) omnia reuocarit, & locos communes, quos uocant, instruxerit. Nam simplex ille insignium sententiarum delectus: qualem olim, quum Demosthenem primum legerem, ut eas inter deambulandum meditarer atque ediscerem, mea causa potissimum confectum, habeo: diligentia cuiusdam potius est, eiusque nec iniucundæ, nec inutilis, quàm alicuius artificij singularis, aut ingenij. In hoc autem opere plus fuisse cogitationis suscipiendum, sæpe ad ueterum, sæpe ad nostrorum temporum historias respiciendum, sæpe *ὑπὸ θεοῖς* ad *θεοῖς* transferendam: attentus Lector facile deprehendet. Quo facilius autem quiuis meum hoc institutum, si placuisset, imitaretur: ea Græca uerba, quæ mihi sententias pepererunt, apposui: neque alienum huic operi putassem, addere alicubi *ἀλλοιολογίας*, exempla, & similes aliorum sententias, quod paruo sanè labore mihi constitisset: nisi modus uideretur adhibendus, & cauendum Lectoris fastidium: cum alioqui minutissima quæque, scrupulosius etiam quàm fortassis oportuerit, sim persecutus. Quanquā, qui cogitabit, Demosthenem plus habere in recessu, quàm prima fronte promittat: is negligentem diligentissimi scriptoris lectionem uiciosissimā esse putabit: idemque, si plura prætermisisse nos, quàm obseruasse credet, id uoluntate mea non esse commissum sciat: siquidem huius operis initio, *μικρολογίας* quàm *ἀμελείας* nomine malui reprehendi: præsertim, cum hic contrā quàm alibi fieri solet, in progressu minuatur labor, iisdem & uerbis & sententijs subinde recurrentibus, ac uelut in orbem redeuntibus, quæ repetere superuacaneum fuerit, nisi uel elegantia dictionis, uel alia quæpiam causa ita faciendum esse suadeat. Quod idem & de Annotationibus intelligendum est: quarum initio quedam inserui, propter commune faciendos & excitandos rudiores: quæ nec ad eruditos ullo modo uolui pertinere, nec in cæteris eandem sequi rationem constitui. Nec enim eos docendos mihi sumo, qui alios docere possunt: neque ijs inculcandis, quæ cuius in promptu mediocriter erudito esse possunt, ocio abuti uolui: sed eos in primo limine admonere uisum est, qui cum discendi cupidi sint, neminem habent à quo erudiantur. Ac magna quidem ipse quoque laboris parte leuatus uideri possim ab Vlpiano & Libanio: quorum hic argumenta omnium, ille quarundam orationum, earumque ferè principum inter cæteras, enarrationes scripsit: autor uterque non parui nominis. Iam Vuilhelmi Budæi, doctissimi uiri, Græcæ linguæ commentarij in hoc uelut ex professo conscripti uidentur, ut sine ullo commentario, suo Marte quilibet in Græcis autoribus liberè uersari posset, hoc præsertim literatissimo seculo, quo Græcæ literæ passim docentur. Verum si speciosis titulis sepositis, & conceptis opinionibus repudiatis, res ipsa spectetur: sudandum ei nihilo minus esse apparebit, qui Demosthenem uelit nedum explicare diligenter, sed uerè duntaxat intelligere. Nam Libanius breuitati, ut suscepti operis ratio postulabat, dum studet, causarumque tantum summas attingit: neque partes orationis, neque seriem argumentorum, neque ferè quicquam aliud, quod intelligendis orationibus seruiret, exposuit. Vlpianus, siue temporum uitio, siue incuria & petulantia librariorum, & mutilatus, & uehemen-

ter deprauatus ad nos peruenit. Qui tametsi haud dubiè de nostro Demosthene est bene meritus, multa quæ illustrauit, quæ sine eo tenebris essent obruta: sæpe tamen (si uerum fatear libeat) plus habet inanium uerborum (id quod nescio quo modo quasi peculiare uitium est Græcorum interpretum) quàm utilium rerum: & in artificio explicando ita non raro scrupulosus, ita intricatus, ita obscurus est, ut non ipse Demosthenes. magis commentariū requirere uideatur. Quæ quum ita essent, atque ego reputarem, quibus mihi laboribus, quibus uigilijs post lectos non modò Budæi commentarios, sed post Harpocracionem etiam, & Hesychium, & Pollucem, & Suidam, & Phauorinum, & alios eius generis autores euolutos, Demosthenis interpretatio constitisset: cum quorundam conuersiones in publicum editas inspexissem: cum, quo pacto diuersis in locis quosdam Græca docentes audissem, recordarer: operæ precium facturum me putabam, si pro tenuitate ingenij mei, & quantulocumque in Græcis literis usu, lucis aliquid afferre locis obscurioribus, & studiosæ iuuentutis siue laborem leuare, siue diligentiam excitare, & occupati lectoris commodis consulere, nec Demosthenem solū, sed Libanium etiam & Vlpianum eadem opera declarare, & mendas codicum uel indicare, uel tollere, sicubi & fieri à me posse & opus esse uideretur, studuissem. Neque enim cuius statim in promptu ea fore putabam, quæ me diligenter cogitantem, aliquandiu torsissent. Itaque in animo erat, hortante præsertim quodam doctissimo uiro, quamprimum hoc Opus absolvere, ut cum editione Latini Demosthenis & Vlpiani commentarijs coniungeretur. Sed quum animaduertirem plus in eo esse difficultatis, quàm ut sine multa lectione optimorum utriusque linguæ scriptorum (ad quos per annos iam complures, in hunc usque diem docendi scribendi que molestijs occupato, uix respicere mihi, nedum incredibilem legendi & relegendi ardorem restringere licuit) quicquam aliquo nomine dignum conscribi posset, ocium autem & tempus ad eam rem deesset: unà cum perficiendi spe, abieci etiam faciendi uoluntatem. Specimen tamen hoc quaecumque nunc libuit emitte. Quod si nec eruditus improbari, & non ingratum esse studiosis intellexero: fortasse posthac aliquid amplius & eruditius conabor, nisi fortuna & ualetudo studium meum interruperit: operamque dabo, ut controuersa

uel rationibus, uel autoritate, uel exemplis confirmando, neque necessa-

saria transiluisse, neque superuacanea inseruisse uidear.

Sed iam præfationum satis, μή τὸ πῖσαγμα

μείζον ἢ μῖν γένοιτο τοῖ

θυλάκῃ.